

quia post obitum Viduæ adhuc perseverat Voti causa finalis, dicendum, remanere Sergio in reliquos annos prædictam obligationem; est namque communis Doctorum sententia, quod etsi cesset causa impulsiva, dummodo tamen perseveret causa finalis, perseverat quoque Voti obligatio, ut videre est apud Sanchez in Decal. lib. 4. cap. 2. n. 42. Vel Sergius eo tunc sibi præfixit pro fine levamen ipsius Viduæ ab omni anxietate & incommodo in procuranda congrua alimentatione familiæ suæ, prout quandoque fit a propinquis erga consanguineas, aut affines; & tunc dico, quod, quia levamen ipsius Viduæ fuit vera causa finalis, & non alimentatio familiæ, in tali casu non remanet Sergio obligatio in reliquos annos, quia cessante causa finali cessat obligatio. In dubio postea, quem finem in casu Sergius intenderit, nonnulli dicunt, obligationem Sergio non remanere; tum quia tunc melior est conditio voluntatis libertatem possidentis; tum quia, cum ad voti valorem debeat causa subsistere, idem est dubitare de subsistentia causæ finalis, ac de voti valore. Attento nihilominus præfato tenore verborum, hoc in casu oppositum censeo, eo quia, si attentius verba perpendantur, obvius & connaturalis eorumdem sensus indicat, causam finalem a Sergio intentam, esse commodiorem alimentationem familiæ, non autem Viduæ liberationem ab omni anxietate, & incommodo; ait enim, *ut commodius alat familiam suam*. Deinde si hoc secundum pro fine habuisset, non dixisset, se donare Viduæ illam quantitatem frumenti & vini *ut commodius*, sed *ut commode* alat familiam suam, qui enim intendit auferre incommodum, commodum positive intendit inducere, non vero majus incommodum, quod positivum jam supponit. Ergo cum finis exprimaturo termino comparativo *commodius*, dicendum, quod si non constet de Sergii determinata intentione, commodior familiæ alimentatio censenda sit causa finalis a Sergio intentata; ideoque huic insit dicta obligatio in reliquos annos.

CAS. III. Audit Petronius, rem a se persoluta jam pretio emptam, etiam Vitali fuisse jam antea venditam: Q. 1. an venditio ejusdem rei facta ipsi Petronio sit valida? 2. An hujusmodi res ad Vitalem spectet, an vero ad Petronium?

Resp. cum dist. Vel Vitalis, cui talis res fuit antea vendita, & ipse pro ea solvit pretium, seu fecit quid æquivalens; puta, convenit cum venditore de solutione facienda tali tempore; aut dedit ipsi fidem solutionis, ab ipso acceptatam, seu pignus in securitatem solutionis &c. tunc dico, venditionem ejusdem rei factam ipsi Petronio, non esse validam, ac hujusmodi rem ad Vitalem spectare. Vel Vitalis, cui &c. non solvit pretium, nec fecit quid æquivalens; & in hoc casu dico venditionem ejusdem rei factam ipsi Petronio, illicitam quidem esse, sed validam, & hujusmodi rem spectare ad Petronium. Ratio p. par. est, quia semel ac etiam Vitalis solvit pretium, seu fecit aliquid æquivalens, jam pro eo valet illa regula legalis: Qui prior est tempore, potior est jure; & per ipsam solutionem pretii a Venditore acceptam transfuit in se dominium rei; sicuti Venditor acquisivit dominium pretii. Hinc cum res jam in Emptoris dominium translata nequeat a venditore valide amplius alteri vendi, quia sub ejus jure amplius non est; ideo venditio ejusdem secundo, in casu, facta Petronio, valida non est, sed res ad Vitalem spectat, utpote legitimum dominum. Neque dicas, rei venditæ dominium solum transferri per actualem, & realem ejus traditionem emptori factam a venditore. Hoc namque falsum esse patet ex l. *quod vendidi ff. de Contrabenda Emptione*, ubi dicitur transferri dominium